M. TULLI CICERONIS

LIBELLUS

DE OPTIMO GENERE ORATORUM.

EDMUNDUS HEDICKE RECENSUIT.

SORAVIAE LUSATORUM IMPRESSIT J. D. RAUERT.
1889.

1889. Progr. No. 85.

Hac scribendi facultate ad officium pietatis explendum oblata sed exiguis paucarum paginarum finibus circumscripta Ciceronis libellum dicam an prooemium de optimo genere oratorum, quo ille nobilissimas orationes inter seque contrarias Aeschinis et Demosthenis a se ex sermone Graeco in Latinum conversas popularibus suis commendabat, addita scripturae codicum varietate edere constitui. Anno enim MDCCCLXXVIII cum Parisiis in ea bibliotheca, quae nunc vocatur nationalis, codices Ciceronianos inspicerem, in codice latino 7347, qui quattuor codicum diversi argumenti reliquias continet, fol. 11r — 13vs hunc Ciceronis libellum saeculo undecimo scriptum inveni eumque, cuius auctoritas adhuc uno codice saeculi undecimi in monasterio S. Gallensi adservato numeroque 818 signato nitebatur, accuratius examinare magna cum spe adgressus sum. Quae tamen spes me fefellit: nam ille codex quamquam duobus locis (3,8 p. 4,25 *numerantur* et 7,20 p. 7,19 *cum*) unus, quantum scio, verba Ciceronis integra servat, paucis (6,18 p. 7,2 *ipsi* exhibet, non *illi*, 6,18 p. 7,5 non omittit *quam*, 7,21 p. 7,25 non omittit *dixit*, 7,23 p. 8,7 *si ut* exhibet, non *sicut*, 7,23 p. 8,9 non omittit *e*) erroribus codicis S. Gallensis caret, nullo ita peccat, ut interpolationem sapiat (2,5 p. 4,4 exhibet *aliter* pro *autem*, 4,10 p. 5,10 *sit* pro *fit*, 4,10 p. 5,12 *conlocacio* pro *conlocato*, 6,17 p. 6,21 *se pono* pro *repono*, 6,18 p. 7,1 *num* pro *unum*, 7,19 p. 7,14 *ut* pro *in*, 7,20 p. 7,16 *Nunc* pro *Hunc*), tamen nihil opis adfert eis locis, qui insignibus vitiis contaminati sunt, et fere cum codice S. Gallensi conspirat, ut eos ex eodem archetypo profectos esse adpareat. Neque plus profuit alter eiusdem bibliothecae codex 7704, quem deinde, cum saeculo quinto decimo scriptus esset, 'spemque metumque inter dubii' consuluimus: is codex olim Ludovici de Targny, qui post Ciceronis tres de oratore libros, oratorem, Brutum fol. 142r — 144vs libellum de optimo genere oratorum continet, tanta copia corruptelarum sive neglegentiam librarii sive interpolationem indicantium abundat, ut pro certo adfirmare non audeam, quibus locis in hoc uno codice vera scriptura extat (3,8 p. 4,25 *dicunt* pro *dicant*, 3,8 p. 4,27 *sunt* pro *sint*, 5,15 p. 6,11 *admirantur* pro *admiratur*, 7,23 p. 8,6 *ego* pro *ergo*), eam a meliore codicum genere repetendam esse et verear, ne librarii ingenio debeatur, licet non is fuerit, qui ipsum codicem Parisinum scripsit. Eum enim correctoris muneri imparem fuisse neque omnino intellexisse, quae scriberet, ex multis patet scripturae monstris, quae non sine taedio et olim transcripsi et nunc typis describenda curavi, cum periculum sit, ne legentium mentem non acuant, sed obtundant. Sed ab animo meo non impetravi, ut discrepantiam codicis Vitebergensis (nunc Halensis Y g 24), cuius accurata collatio extat in Seebodii sylloge 1829 p. 148, adderem vel consulerem codicem Gudianum 38 bibliothecae Guelferbytanae a Schuetzio olim inspectum et propter 'vitiosas neglegentissimi librarii scripturas' abiectum, qui prorsus eosdem Ciceronis libros exhibet atque Parisinus 7704. Nam hos tres codices ex eodem fonte derivandos esse plurimis comprobatur vitiis, quae tamen suis quisque atque propriis etiam auxit. Sed etiam horum codicum originem ex eodem archetypo repetendam esse atque S. Gallensem 818 et Parisinum 7347 docent, ut alios omittam, hi errores: 1,2 p. 3,8 *hominibus deicit* (pro *de hominibus dicit*), 2,6 p. 4,10 *peritissimus* (pro *perfectissimus*), 3,8 p. 4,25 *qua tenus* (pro *qui eatenus*), 5,15 p. 6,13 *concitantem* (pro *concitare*), 6,16 p. 6,18 *in* (pro *sin*), 6,17 p. 6,20 *doctissimum* (pro *docti summum*) 6,18 p. 7,1 *uerbum* (pro *rerum*), 7,19 p. 7,12 *deosque* (pro *eosque*).

Restat, ut commemorem quattuor testimonia huius libelli iam apud veteres inveniri: bina apud Charisium grammaticum (1,2 = II p. 199,1 K. et 2,4 = II p. 199,6 K.) et apud S. Hieronymum (5,14 et 7, 23 = ad Pammach. IIII, 2 p. 250 Ben.): quae tamen transcribere nolui, quoniam ex illius verbis nihil proficimus, huius scriptura adhuc fundamento nititur parum certo.

Notarum conspectus:

A: codicum *G P T* consensus.
G: cod. S. Gallensis 818.
P: cod. Parisinus 7347.
T: cod. Parisinus 7704.
J: codices interpolati.
*: littera erasa.

Quae inclinatis litteris expressa sunt, contra codicum auctoritatem adieci, quae uncinis inclusa sunt, ea delenda censui.

M. TULLI CICERONIS

LIBELLUS

DE OPTIMO GENERE ORATORUM.

Oratorum genera esse dicuntur tamquam poëtarum: id secus est, nam I
alterum est multiplex. Poëmatis enim tragici, comici, epici, melici etiam ac 1
dithyrambici, quod rarius est tractatum a Latinis, suum cuiusque est, diversum
a reliquis. Itaque et in tragoedia comicum vitiosum est et in comoedia turpe
tragicum, et in ceteris suus est cuiusque *atque* certus sonus et quaedam intelle-
gentibus nota vox. Oratorum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios 2
grandis aut gravis aut copiosos, alios tenuis aut subtilis aut brevis, alios eis
interiectos et tamquam medios putet, *de* hominibus dicit aliquid, de re parum.
In re enim, quod optimum sit, quaeritur, in homine dicitur, quod est. Itaque
licet dicere et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur, et Pacuvium
tragicum et Caecilium fortasse comicum: oratorem genere non divido. Perfectum 3
enim quaero, unum est autem genus perfecti, a quo qui absunt, non genere
differunt, ut Terentius ab Accio, sed in eodem genere non sunt pares. Optimus
est enim orator, qui dicendo animos audientium et docet et delectat et permovet:
docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium. Haec ut alius 4
melius quam alius, concedendum est; verum id fit non genere, sed gradu: optimum
quidem unum est et proximum, quod ei simillimum. Ex quo perspicuum est,
quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum. Nam quoniam eloquentia II

Inscriptione caret T, de G nihil adnotatum est, P exhibet M. T. C. DE OPTIMO GENERE ORATORUM.

2. alterum est multiplex] alterum est simplex, alterum multiplex *Lambinus.* — Poëmatis] poematicis *T.* — 3. dithyrambici] dityrambici *T.* — quod *T*: quo *G P.* — rarius *scripsi*: magis *A*; *propius accederet ad codicum scripturam* malignius, *si vox esset Ciceroniana.* — cuiusque *Manutius:* cuius *P,* quoius *G,* quod ius *T.* — 5. cuiusque] cuique *G.* — *atque addidi.* — certus *GP: om. T.* — 7. grandis] grandes *G ex sil.* — gravis] graves *G ex sil.* — tenuis] tenues *G ex sil.* — subtilis] subtiles *G ex sil.* — brevis] breves *G ex sil.* — 8. *de* hominibus] hominibus *A*· dicit *Orellius:* deicit *A.* — de re] *om. P1.* — 10. et] & *P2 in ras.* — Pacuvium] Pacunium *T.* — 12. perfecti] fecti *P1.* — 13. pares] *P2 add. in fine vs.* QUID SIT OPTIM' ORATOR. — Opfimus est enim] Optime enim est *T.* — 14. et permovet] *om. T.* — 17. simillimum] similimum *T.* — 18. dissimillimum] dissimillimus *T.* —

constat et ex verbis et ex sententiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est Latine, verborum praeterea et propriorum et translatorum elegantiam persequamur: in propriis, ut lautissima eligamus; in translatis, ut
5 similitudinem secuti verecunde utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera sunt, quot dixi esse laudum; sunt enim docendi acutae, delectandi quasi argutae, commovendi graves. Sed et verborum est structura quaedam, duas res efficiens, numerum et levitatem, et sententiae suam compositionem habent, *et* ad probandam rem adcommodatum ordinem. Sed earum omnium rerum [ut aedifi-
6 ciorum] memoria est quasi fundamentum, lumen actio. Ea igitur omnia in quo summa *erunt*, erit perfectissimus orator; in quo media, mediocris; in quo minima, deterrimus: sed appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali, nec generibus inter sese, sed facultatibus different. Itaque nemo est orator, qui Demostheni *se* similem nolit esse; at Menander Homeri noluit: genus enim erat aliud. Id non est in oratoribus aut, etiam si est, ut alius gravitatem sequens subtilitatem fugiat, contra alius acutiorem se quam ornatiorem velit, etiam si est in genere tolerabili, certe non est in optimo, si quidem, quod omnis laudes habet, id est optimum.

III
7 Haec autem dixi brevius quidem, quam res petebat, sed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus: unum enim cum sit genus, id quale sit, quaerimus. Est autem tale, quale floruit Athenis. Atqui Atticorum oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria: nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos esse, alterum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum aut alienum aut non acutum aut subinsulsum est; in verbis si inquinatum, si
8 abiectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. Haec vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur aut dicunt Attice; sed qui eatenus valuerunt, sani et sicci dumtaxat habeantur, sed ita, ut palaestritae, spatiari in xysto ut liceat, *at* non ab Olympiis coronam petant. Qui cum careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quaerunt, quandam etiam

1. sententiis] *sic P 2, P 1, ut videtur:* sequentibus. — 2. praeterea] propterea *T.* — translatorum] tralatorum *G.* — 3. eligamus] eligamus ut *T. sed linea delet.* ut. — translatis] tralatis *G.* — 4. secuti] sequenti *T.* — verecunde] verecunda *G,* vereconde *T.* — autem] aliter *P.* — 5. acutae] accute *T.* — 6. graves] grave *T.* — verborum] *sic P 2, P 1, ut videtur:* uerbum. — 7. levitatem] lenitatem *Bentleius ad Hor. art. poet. 26.* — *et add. Lambinus.* — 8. accommodatum] ad accomodatum *T.* — ut aedificiorum *del. Nagel in act. soc. Traiect. IIII p. 266.* — 10. summa *erunt scripsi:* summa *A,* erunt summa *vulgo.* — perfectissimus *Lambinus:* peritissimus *A.* — 11. sed *Jahnius:* et *A.* — appellantur etiam] etiam appellantur *T.* — 13. Demostheni] Demosthenis *P 2.* — *se add. Orellius.* — similem] *P 2 superscr.* uel lis. — 14. gravitatem] grauitate *T.* — 15. velit] esse *T.* — 16. tolerabili] tolerabile *P.* — omnis] omnes *G ex sil. T.* — 17. est *om. P 1 T.* — 18. Haec] hoc *T.* — quidem *G*: equidem *P T.* — 19. dicendum] discendum *T.* — cum sit] quoniam si *T.* — 20. Atqui *scripsi:* ex quo *A.* — Atticorum] anticorum *T.* — vis] *om. T.* — 21. nihil] nichil *T.* — 23. aut alienum] ut alienum *T.* — aut non] aut nisi *T.* — acutum] acututum *P 1,* accutum *T.* — si abiectum] *om. P.* — 24. omnes] omnis *P.* — 25. Attici] attice *T.* — numerantur *P:* numerant *G T.* — dicunt *T*: dicant *G P.* — Attice] atice *T.* — qui eatenus *Gulielmius*: qua tenus *A.* — 26. habeantur] habebantur *T.* — palaestritae] palestricte *T.* — spatiari] spaciari *P T.* — xysto] xisto *P, corr. superscr.* uel circo; sisto *T.* — liceat] dicat *T.* — *at* non *scripsi:* non *A.* — 27. cum] quoniam *T.* — vitio] uicio *P T.* — sunt *T*: sint *G P.* — 28. quaerunt *J*: quaerant *A.* — quandam] et quandam *T.* —

suavitatem coloris. Eos imitemur, si possumus; si minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, quod est proprium Atticorum, quam eos, quorum vitiosa abundantia est, qualis Asia multos tulit. Quod cum faciemus — si modo id 9 ipsum adsequemur: est enim permagnum —, imitemur, si potuerimus, Lysiam et eius quidem tenuitatem potissimum. Est enim multis locis grandior, sed, quia et privatas ille plerasque et eas ipsas et aliis et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse ieiunior, cum se ipse consulto ad minutarum causarum genera limaverit. Quod qui ita faciet, *ut*, si cupiat uberior esse, non possit, IV habeatur sane orator, sed de minoribus: magno autem oratori etiam illo modo saepe dicendum est in tali genere causarum. Ita fit, ut Demosthenes certe 10 possit summisse dicere, elate Lysias fortasse non possit. Sed si eodem modo putant exercitu in foro et in omnibus templis, quae circum forum sunt, conlocato dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum iudicem diceremus, vim eloquentiae sua facultate, non rei natura metiuntur. Quare quoniam nonnullorum 11 sermo iam increbruit, partim se ipsos Attice dicere, partim neminem nostrum dicere, alteros neglegamus: satis enim eis res ipsa respondet, cum aut non adhibeantur ad causas aut adhibiti derideantur; nam si riderentur, esset id ipsum Atticorum. Sed qui dici a nobis Attico more nolunt, ipsi autem se non oratores esse profitentur, si teretes auris habent intellegensque iudicium, tamquam ad picturam probandam adhibeantur etiam inscii faciendi cum aliqua sollertia iudicandi. Sin autem intellegentiam ponunt in audiendi fastidio neque eos 12 quicquam excelsum magnificumque delectat, dicant se quiddam subtile et politum velle, grande ornatumque contemnere; id vero desinant dicere, qui subtiliter dicant, eos solos Attice dicere. Item, quasi sicce et integre, et ample et ornate et copiose cum eadem integritate Atticorum est. Quid? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum an etiam admirabilem esse cupiamus? Non enim iam quaerimus, quid sit Attice, sed quid sit optime dicere. Ex quo 13 intellegitur, quoniam Graecorum oratorum praestantissimi sint ei, qui fuerint Athenis, eorum autem princeps facile Demosthenes, hunc si qui imitetur, eum et Attice dicturum et optime: uti*que*, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere id est Attice dicere.

2. vitiosa] uiciosa *P T.* — 3. abundantia] habundancia *T.* — qualis] quales *G ex sil.* — cum] quoniam *T.* — id] **ad** ***P1***; in id *T.* — 4. imitemur] imittemur *T.* — Lysiam] lisiam *T.* — 5. multis] uitis *T.* — 6. et privatas] est priuatus *T.* — et eas ipsas] etates illas *T.* — aliis *J*: alias *A.* — causulas] clausulas *T.* — 7. cum] quoniam *T.* — ipse] ipso *G.* — 8. *ut J: om. A.* — 10. fit] sit *P.* — Demosthenes] demostenes *T.* — 11. summisse dicere, elate lisias fortasse non possit] *haec verba in T bis exarata sunt.* — 12. exercitu] exercu *P1,* exercitum *T.* — conlocato] conlocacio *P.* — 13. Milone] millone *T.* — 15. increbruit] increpuit *T.* — ipsos] ipso *T.* — neminem] inest *T.* — 16. alteros] altero *T.* — eis] ius *T.* — 17. adhibiti] adhibeti *P1.* — 18. nolunt *J*: uolunt *A.* — 19. teretes] teretis *P T.* — auris] aures *G ex sil.*, auri *T.* — ad picturam probandam] ad probandam picturam *T.* — 20. adhibeantur *Manutius*: adhibentur *A.* — 22. politum] pollitum *T.* — 24. Item *scripsi*: id est *A.* — 25. cum] quod *T.* — 26. nostram] *om. T.* — tolerabilem] tollerabilem *T.* — esse] *om. P.* — 28. sint] sunt *T.* — fuerint] fuerunt *T.* — 29. Demosthenes] demostenes *T.* — hunc] nunc *T.* — imitetur] imittentur *T.* — 30. uti*que scripsi*: utrum *PT,* utrus *G.* — 31. est *scripsi:* sit *A.* —

V Sed cum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus, putavi
mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium.
14 Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter
seque contrarias, Aeschini *et* Demostheni, nec converti ut interpres, sed ut orator,
sententiis isdem et earum formis atque figuris, verbis ad nostram consuetudinem
aptis. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omne
verborum vimque servavi: non enim ea me adnumerare lectori putavi oportere,
15 sed tamquam appendere. Hic labor meus hoc adsequetur, ut nostri homines,
quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam
dicendi revocent, intellegant. Sed exoritur Thucydides: eius enim quidam
eloquentiam admirantur. Id quidem recte, sed nihil ad eum oratorem, quem
quaerimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando
criminari crimenve dissolvere, aliud narrantem tenere auditorem, aliud concitare.
16 'At loquitur pulcre.' Num melius quam Plato? Necesse est tamen oratori, quem
quaerimus, controversias explicare forensis dicendi genere apto ad docendum, ad
VI delectandum, ad permovendum. Quare si quis erit, qui se Thucydidio genere causas
in foro dicturum esse profiteatur, is abhorrebit etiam a suspicione eius, quod versatur
in re civili et forensi; sin Thucydidem laudabit, adscribat suae nostram sententiam.
17 Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor, Plato, suum fere aequalem admirabiliter
in Phaedro laudari fecit ab Socrate quemque omnes docti summum oratorem esse
dixerunt, tamen hunc in numerum non repono: non enim in acie versatur nec
ferro, sed quasi rudibus eius eludit oratio. A me autem, ut cum maximis minima
conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur: Aeschines *cum Demosthene*
tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, *at* non 'spurcus homo,' sed acer et doctus,

'cum Pacid*e*iano hic componitur, optimu' longe
post homines natos' —

18 nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse divinius. Huic labori nostro

1. in] *om. P1.* — 2. mihi] non *T.* — studiosis] studiosius *T.* — mihi] michi *T.* — necessarium] neccessarium *T.* — 3. nobilissimas] nobilissumas *P*, nobillissimas *T.* — orationes] oraciones *T.* — 4. *et add. J: om. A.* — Demostheni] Demosteni *T.* — 5. isdem] *om. T.* — atque *scripsi:* tamquam *A.* — 6. necesse] neccesse *T.* — omne *Hieronymus:* omnium *A.* — 7. adnumerare] aut numerare *T.* — 8. adsequetur *Ascensius*: adsequitur *A.* — 9. exigant] exgigant *P1.* — 10. exoritur *ed. Norimbergensis:* exorietur *A.* — Thucydides] tuchydides *T.* — 11. admirantur *T*: admiratur *GP.* — quidem] quidam *P1.* — nihil] nichil *T.* — quem] *om. T.* — 13. concitare *Aldus:* concitantem *A.* — 14. At loquitur] alloquitur *T.* — Num] an *T.* — Necesse] neccesse *T.* — oratori *G ex sil.:* oratoris *PT.* — 15. explicare *J:* explicantem *A.* — forensis] forenses *G ex sil.* — 16. Thucydidio] tuchydidio *T.* — 17. is] his *P1.* — quod *Ernestius:* quae *A.* — 18. sin *Orellius:* in *A.* — Thucydidem] thycididem *G*, tuchydidem *T.* — laudabit *Gulielmius:* laudauit *A.* — 19. Isocratem] in socratem *T.* — 20. Phaedro] phedrone *P2*, phedro d *T.* — ab] a *T.* — docti summum *J*: doctissimum *A.* — esse] *om. P.* — 21. repono] se pono *P.* — acie] atie *P.* — nec *scripsi:* et *A.* — 22. sed *ed. Norimbergensis:* et *A.* — cum] quoniam *P*, quo *T.* — 23. nobilissimum] nobilissimus *T.* — *cum Demosthene add. Schützius.* — 24. Aeserninus] aesserninus *P. Lucilii verba Lucianus Muellerus sic edidit* (IV, 15—18): Aeserninu' fuit, Flaccorum munere, quidam || Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque; || cum Pacideiano componitur, optimu' multo || post homines natos gladiator qui fuit unus. — *at addidi.* — acer et] certe *T.* — 25. cum] quom *P1*, quo in *P2*, quo modo *T.* — Pacideiano *Cratander:* pacidiano *A.* — optimu' *Cratander:* optimus *A.* — 26. post] per *T.* — 27. nihil] nichil *T.* —

duo genera reprehensionum opponuntur: unum hoc: 'Verum melius Graeci!' A quo quaeratur, ecquid possint ipsi melius Latine? Alterum: 'Quid istas potius legam quam Graecas?' Eidem *tamen* Andriam et Synephebos nec minus [nec] Andromacham aut Antiopam aut Epigonos Latinas recipiunt; eid*em* tamen Ennium et Pacuvium et Accium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt, Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt. Quod igitur est eorum in orationibus e Graeco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus?

Sed adgrediamur iam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quae causa VII 19 in iudicium deducta sit. Cum esset lex Athenis: 'Ne quis populi scitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu, priusquam rationes rettulisset,' et altera lex: 'Eos, qui a populo donarentur, in contione donari debere, qui a *senatu* in senatu,' Demosthenes curator muris reficiendis fuit eosque refecit pecunia sua. De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit nullis ab illo rationibus relatis, ut corona aurea donaretur eaque donatio fieret in theatro populo convocato, qui locus non est contionis legitimae, atque ita praedicaretur: eum donari virtutis ergo benivolentiaeque, quam is erga populum Atheniensem haberet. 20 Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Aeschines, quod contra leges scripsisset, ut et rationibus non relatis corona donaretur et ut in theatro et, quod de virtute eius et benivolentia falsa scripsisset, cum Demosthenes nec vir bonus esset nec bene meritus de civitate. Causa ipsa abhorret illa quidem *a* formula consuetudinis nostrae, sed est magna. Habet enim et legum interpretationem satis acutam in utramque partem et meritorum in rem publicam contentionem sane gravem. Itaque causa fuit Aeschini, cum ipse a Demosthene esset capitis accusatus, 21 quod legationem ementitus esset, ut ulciscendi inimici causa nomine Ctesiphontis iudicium fieret de factis famaque Demosthenis. Non enim tam multa dixit de

1. unum] num *P.* — Verum *J:* uerbum *A.* — 2. quo quaeratur] conqueratur *T.* — ecquid *Aldus*: et quid *A.* — ipsi] illi *G.* — 3. potius] pocius *T.* — Eidem *tamen scripsi:* Idem *A.* — et Synephebos] et sinephebos *P*1, eschines phebos *T.* — nec minus [nec] *scripsi:* nec minus terentium et caecilium quam menandrum legunt nec *A*, *quae media interposita sunt verba* Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt *post verba* Sophoclem legunt *(vs. 5) traieci.* — 4. Antiopam] anthiopam *T.* — Latinas *Jahnius:* latinos *A.* — recipiunt] recipiant *T.* — eid*em scripsi:* sed *A.* — 5. Pacuvium] paucunium *T.* — potius] pocius *T.* — quam] *om. G.* — Euripidem] eurepidem *T.* — Sophoclem] sophoclen *P.* — 6. eorum in] in eorum *T.* — 7. e Graeco *Lambinus:* a Graeco *A.* — conversis] uersis *P.* — 8. exposuerimus] exposuerim *P T.* — 9. Cum] Quomodo *T.* — 10. rationes] raciones *T.* — rettulisset *Kayser:* retulisset *A.* — 11. contione] concione *P*, contencione *T.* — qui a *senatu Muretus:* quia *A.* — 12. senatu] cenatum *T.* — Demosthenes] demostenes *T.* — eosque *J:* deosque *A.* — refecit] rexit *T.* — 13. Ctesiphon] ctesifon *P*, stesiphons *T.* — rationibus] racionibus *T.* — 14. donatio] donacio *T.* — fieret *Aldus:* fecerit *P T*, fuerit *G.* — in] ut *P.* — theatro] teatro *T.* — 15. contionis] concionis *T.* — legitimae] legiptime *T.* — 16. benivolentiaeque] beniuolencie quem *T.* — Hunc] Nunc *P.* — 17. Ctesiphontem] ctesifontem *P*, stesiphontem *T.* — 18. rationibus] racionibus *T.* — et ut] etiam ut *T.* — theatro] teatro *T.* — 19. eius] *om. T.* — benivolentia] beniuolencia *T.* — cum] et cum *G*, quoniam *T.* — Demosthenes] demostenes *T.* — 20. civitate] uirtute *T.* — abhorret] abhoret *T.* — *a* formula *Lambinus:* formula *A.* — 21. interpretationem] interpetracionem *T.* — acutam] accutam *T.* — 22. in utramque partem] in utraque parte *T.* — contentionem] contionem *P*, *om. T.* — 23. cum quoniam *T.* — a Demosthene] ad demostenem *T.* — accusatus] accusat' * * * *P*, *sed ' add. m. 2.* — 24. legationem] egacionem *T.* — ementitus] ementius *P1.* — Ctesiphontis] ctesifontis *P*, stesiphontis *T.* — 25. iudicium] inditium *T.* — Demosthenis] demostenis *T.* — dixit] *om. G.* —

rationibus non relatis, quam de eo, quod civis improbus ut optimus laudatus
22 esset. Hanc multam Aeschines a Ctesiphonte petivit quadriennio ante Philippi
Macedonis mortem, sed iudicium factum est aliquot annis post Alexandro iam
Asiam tenente. Ad quod iudicium concursus dicitur e tota Graecia factus esse.
Quid enim tam aut visendum aut audiendum fuit quam summorum oratorum
23 in gravissima causa accurata et inimicitiis incensa contentio? Quorum ego
orationes si, ut spero, ita expressero virtutibus utens illorum omnibus, id est,
sententiis et earum figuris et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea
non abhorreant a more nostro — quae si e Graecis omnia conversa non erunt,
tamen, ut generis eiusdem sint, elaboravimus —: erit regula, ad quam eorum
dirigantur orationes, qui Attice volent dicere. Sed de nobis satis: aliquando
enim Aeschinem ipsum Latine dicentem audiamus.

1. rationibus] racionibus *T.* — 2. Hanc multam] Habeat multa *T.* — a Ctesiphonte] a cthesifonte *P*, ac tesiphontem *T.* — Philippi] philipi *T.* — 3. factum] factu *P.* — Alexandro iam Asiam tenente] alexandrum iam asiam tenentem *T.* — 4. concursus] concursum *T.* — Graecia] gratia grecia *P.* — factus] factum *T.* — 5. visendum] uiscendum *T.* — 6. accurata] accusata *T.* — inimicitiis] inimicis *T.* — contentio] contencio *T.* — ego *T:* ergo *G P.* — 7. orationes] oraciones *T.* — si, ut] sicut *G.* — ita] *om. T.* — 8. sententiis] sentenciis *T.* — eatenus] ea tenens *P1.* — 9. abhorreant] abhoreant *T.* — e] *om. G.* — omnia] omnia omnia *G.* — 10. elaboravimus *Hieronymus:* elaborabimus *A.* — 12. Aeschinem] Eschinum *T.* — *Subscriptione carent P T, de G nihil adnotatum est.*